



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Sinensis n. 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

3. A GVBERNATORE SINENSI: Qui sub ipsa initia admissorum in Sinas sociorum (cum moderationem in ijs eximiam, & in exponenda Christi lege virtutem animi, atque solertiam perspexisset, & porro suspexisset impensus) versâ demum in venerationem admiratione ita statuit, eos non transeunte verbo, sed expressis ex more Gentis suæ, affixisque tabulis perpetuis honorare: fieri id solet, factumque est hac, quam subijcio, celebritate, qua summi quique Magistratus suam in familiares tantum, ac pares sibi, benevolentiam publicè contestantur. Binas Tabulas insigni opere striatas, & coloribus illustres, eo qui in similibus obseruari solet apparatus, ad nos misit; adiecta voluntate sua, qua desiderabat earum vnâ Sacre apud nos adicula vestibulo imponi, alteram in eâ optabat aulâ statui, in quam officij, & salutationis gratia conueniebant amici nostri. Illa cubitalibus characteribus hoc preserebat elogium, Diuorum floris Ædes: hæc verò paribus expressum literis hoc Societatis encomium exhibebat, Gens ex occasu sacrosancta: minoribus infra notis scripto Gubernatoris ipso nomine: quo quidem à grauissimo illo inter Sinas Magistratu fieri ad amicam venerationem illustrius nihil potest. Ita apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 672. ex Trigaus. de Christ. exped. apud Sinas lib. 2. cap. 5.

Eximius  
honor no-  
stris à Gu-  
bernatore  
Sinensi ha-  
bitus.

4. A GVBERNATORE PEQVINENSI In Sinensi Imperio celeberrimo, qui affine, & omnino gemino officij genere, & laudis amplissimæ plurimis post annis affectit Socios recens tum missos in possessionem aule suburbanæ ad P. Matthæi Ricci sepulturam, & usum Societatis perpetuum, auctoritate regia attributa. Is simili ritu adornatam missamque Tabulam tumulo Patris imposuit cum hoc lemmate: Ad Iustitiæ famam venienti Matthæo Riccio è magno Occidente. Quo quidem Sina, iustitia & ratione omnia metientes, ad summam venerationem significantius efferre nihil solent. Et ita sane etiam citra adulationem vel inuidiam ille potuit: cum maximorum eo ipso tempore Magistratum crebrò de Socijs audirentur hæc voces: Quod est tota hac aula tribunal, quod non intelligat legem illam, quam prædicatis iustam esse, veram esse? Summâ fateor, & debita veneratione fidei Catholicæ, & non

Et siatilis  
à Pequi-  
nensi.